

atque infremuit, ut ruere cælum, dehiscere terram, ad ima-
que subsidere tartara viderentur: tetra quoque caligo densis
involuta tenebris, creberrimisque intermicans luminibus, ob-
rutum fere adimebat. Verum ex ea horribili tormentorum
tempestate dispar exitus erat; nostris parum damni ab hoste
inferebatur; quod ex eminentioribus triremium proris globi
ejaculati navigia supergrederentur. Contra vero ex christianis
triremibus, quæ depressiores erant, humiliorique prora, de-
truncatis rostris constabant, nunquam fere incassum machinæ
contortæ: inde complures ex hostilibus perforatæ, incensæ,
aquis demersæ sunt. Primos hosce conatus varia atque atrox
pugna undique excepit, qua Turcis, qua nostris ingruenti-
bus, impetumque excipientibus.

In sinistro foederatæ classis cornu, quod Augustinus Bar-
badicus legatus ductabat, acrius dimicabatur; adnitente Scil-
loco, qui dextero hostium præerat, qua inter litus nostrasque
triemes aditus patebat, irrumperere, ac, navigiis circumactis,
aciem a tergo adoriri; vel, si secus accideret, in propinqua
litora desiliendo, fuga saluti consulere. Ceterum Marino Con-
tareno, Vincentio Quirino, Marco Ciconia, Petro Francisco
Maripetro interjectum ob latitudinem spatium ægre tutanti-
bus, Scilloco prætergresso, octo triremibus circumventa Barba-
dici prætoria, summo in discrimine versabatur. Ipse interri-
tus, neque præsentī periculo commotus, suos ad pugnam hor-
tatus, egregii ducis, ac militis munere fungitur. Antonius
Canalius, qui diversa in parte ingentem hostium stragem ede-
bat, ab hoste circumseptum Barbadicum intuitus, in Scilloci
triremem, quam eodem tempore Joannes Contarenius, e Comi-
tum Joppensium familia, tormentorum ejaculatione, magna
remorum parte, temone quoque ipso perfracto, nudaverat,
imperum facit. Scillocum cum navigium pro arbitratu flectere
nequiret, congressum perhorrescens, abjecto pugnae consilio, in
fuga salutem ponit; ingentiumque globorum ex prætoria le-
gati Canalii jactu depressa ac demersa triremi, in mare sese eji-
ciens, natatu evadere adnixus, a Contareni classiariis capitur,
eique jam lethali vulnere confosso caput detruncatur. Eodem
momento Marinus Contarenius, Barbadici, cujus ex sorore ne-
pos erat, periculo permotus, dum avunculo opem ferre cona-
tur,